

# CONFIRMATIO INDVLTORVM Congreg.<sup>nis</sup> S.Benedicti Hispaniarum

*Cum declarationibus, & ampliationibus Sanctissimi  
Domini Nostri VRBANI Papa viii.*

MOTU PROPRIO edita.

1624



S.BENEDICTVS

R O M A E Ex Typographia Cameræ Apostolicæ.  
M D C X X I V.

---

Instante Fr.Alfonso de Truxillo Professo ex Cœnobio Mon-  
serratensi, & eiusdem Congregationis in Curia  
Romana Procuratore Generali.

CONFIRMATIO INDULTORVM

Congregati. S. Benedicti Hispanorum

Constitutio de Indulgenceis et remissionibus peccatorum

Dominii Veneris Nativitatis Pasche anni.

MOTU ADOPTATO anno

1650



ROMAE EX LIBRIS BISHOPIS CAVES ABEPYGIUS,

M D C X X I L

INVENIENS H. ALTONO DE TUNICO PICTORIS ET CONCIPIO MOL

TELEGRAMM, & ELEGANTIS CONCESSIONIBUS IN CHURCH

ROTIENS POCOMTORE GENESESTI

# V R B A N V S<sup>3</sup> E P I S C O P V S

Seruus seruorum Dei.

A D PERPETVAM REI MEMORIAM.



N sacra Beati Petri Sede nullis  
nostris meritis, sed inscrutabili  
supremi Patris prouidentia in  
plenitudinem potestatis assum  
pti, ad gloriosum Confessorē,  
& Abbatem Monachorum Pa  
triarcham & Ducem, iustorumq. omnium Spi  
ritu plenum Sanctum Benedictum, quasi vitem  
Cœlesti rore madidam, cuius fœcundi palmi  
tes, toto ferè Terrarum Orbe fructiferè diffusi  
abundantis fluminis instar fontibus aqua salu  
tari manantibus Vineam dextera Domini plan  
tatam irrigare non cessant, mentis nostræ diri  
gentes intuitum ad ea inter cæteras nostris hu  
meris licet imparibus, graui mole impositas  
curas inuigilandum esse arbitramur, quæ pro  
Religiosarum personarum quarumlibet, præ  
sertim sub Illustri eiusdem Sancti Benedicti Ve  
xillo militantium, & Altissimo famulantium  
pace, quiete, prosperoq. regimine à Roma  
nis Pontificibus prædecessoribus nostris con

Dog

A 2 cessa

4

cessā, i statuta, ordinata, & stabilita fuisse di-  
gnoscuntur, eaq. vt intiolabilius ab omnibus  
perpetuō obseruentur Pastoralis officij nostri  
vigilantiae partes prædecessorum eorundem  
vestigijs inhæredō fauorabiliter interponimus  
& ne aliqua in posterum super decretis ab eis-  
dem prædecessoribus desuper prouidē emanat-  
is exurgat in exitium animarum difficultas,  
sed vt omnis dubitationis ansa quæ circa ca-  
oriri possunt, & iam forsan suborta fuisse intel-  
liguntur, de medio tollatur, sacramq. regularis  
obedientiae vinculum consolidetur, prædeces-  
sorum eorundem facta & decreta declaratio-  
nis nostræ ministerio confouemus, ac alias ul-  
tro desuper disponimus prout rerum qualita-  
tibus debitè pensatis, conspicimus in Domino  
salubriter expedire. Dudum siquidem post-  
quam fel. rec. Alexander iiij. & Pius ii. ac In-  
nocentius viij., nonnulliq. forsan alij Romani  
Pótifices Prædecessores nostri, per suas perpe-  
tuō valituras Constitutiones inter cætera sta-  
tuerunt, quod personæ regulares Cisterciensis  
Ordinis aliquo prætextu vel occasione ab or-  
dinationibus & correctionibus quibuscumque  
tam suorum Abbatum, & Prælatorum, quam  
etiā Abbatis, & Capituli Generalis appellare,  
& causas ac querelas suas extra dictum Ordin-  
inem educere non valerent, sed pro notoria &  
manifesta iniustitia, & in euentum denegatae  
iustitiae à Capitulo Generali ad Sedem Aposto-  
licam tantum appellare & recursum habere  
pos.

possent, recolendæ memoriae Gregorius Pa-  
pa xiiij. etiam Prædecessor noster nonnulla  
Statuta per tunc existentes Abbatem Genera-  
leum ac nonnullos alios Religiosos Congrega-  
tionis regularis obseruantiae Sancti Benedicti  
Regnum Hispaniarum in vim facultatum  
eis ab eadem Sede concessarum condita ad  
petitionem & instantiam etiam tunc existen-  
tium Generalis, & aliorum Abbatum, ac Diffi-  
nitorum, necnon totius Congregationis huius-  
modi sub datum videlicet Romæ apud Sanctu-  
Petruim Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo  
Quingentesimo Septuagesimo primo,  
Quarto Idibus Februarij Pontificatus sui anno  
primo, limitando & moderando, quod Con-  
gregatio, seu illius Generalis, & alij Abbates,  
ac Diffinitores huiusmodi de totius Congre-  
gationis prædictæ consensu in eorum Capi-  
tulo Generali prædicta Statuta, sic per ipsum  
Gregorium prædecessorem limitata & mode-  
rata, necnon etiam alias ipsius Congregatio-  
nis Constitutiones non obstante quod huius-  
modi Constitutiones per Sedem prædictam  
confirmatae essent quoties videretur dictæ Co-  
gregatiōni conuenientius cōmutare valerent  
statuit & ordinavit, seu eisdem Generali, &  
Abbatibus, ac Diffinitoribus licentiam & fa-  
cultatem desuper concessit. Et successiū pia  
memoriae Clemens etiam Papa viij. similiter  
Prædecessor noster præmissa sic per Alexan-  
drum, & Pium, ac Innocentium, necnon for-

Facultas  
condendi,  
& annu-  
landi Con-  
stitutiones  
etia à Sei-  
de Apoſto-  
lica confir-  
matas, per  
Greg. xiiij.  
concessas,  
narratur.

+ in melius & con-  
uenientius. ita  
sic in bullâ Greg. xiiij.

fan

sancti alios primodictos Prædecessores eorum  
Constitutionibus , Statuta in Congregatio-  
ne huiusmodi Regularis obseruantiae eiusdem  
Sancti Benedicti Vallisoletan. dictorum Re-  
gnorum, quæ sub Regula ipsius Sancti Bene-  
dicti militare dignoscet, & etiam nunc  
militat, ac eisdem priuilegijs quibus dictus  
Cisterciensis Ordo vtitur per communicatio-  
nem vrebatur, & gaudebat inuiolabiliter ob-  
seruari, maximè decere iudicans, summope-  
rèq; cupiens eiusdem Congregationis quieti,  
& prospero regimini opportunius etiam con-  
sulere, Motu suo proprio, ex voto tamen Ve-  
nerabilium Fratrum suorum Sanctæ Romanæ  
Ecclesiæ Cardinalium negotijs, regularium  
tunc præpositorum Constitutiones Alexandri,  
& Pij, ac Innocentij , & forsitan aliorum primo-  
dictorum Præcessorum , literasq. desuper  
confectas , & in eis contenta quæcunque Apo-  
stolica autoritate approbavit, confirmavit , &  
innouauit , illisq. perpetuæ , & inuiolabilis  
Apostolicæ firmitatis robur adiecit , ac eas in  
dicta Congregatione Regularis obseruantiae  
Sancti Benedicti Regnorum Castellæ æquæ, ac  
si pro ea nominatim editæ fuissent sub pœnis  
omnibus in illis contentis eo ipso incurrendis  
inuiolatè perpetuò obseruari debere decreuit ,  
& mandauit . Et nihilominus sua etiam per-  
petuò valitura Cōstitutione sanciuit, ac etiam  
statuit , & ordinauit , Quod perpetuis futuris  
temporibus nulli omnino personæ dictæ Con-  
gre-

gregationis, Regularis obseruantiae Sancti Benedicti liceret ab ordinationibus, visitationibus, correctionibus, reformationibus, priuationibus, depositionibus, alijsuè poenit., & sententijs suorum Abbatum, Visitatorum, aliorumq. Prælatorum, seu etiam Generalis, & Capituli generalis eiusdem Congregationis ad aliquem ludicem, siue Ecclesiasticum, siue secularem, aut alias quamcunque personam quatuor auctoritate, & dignitate etiam Regali, Ducali, aut alia mundana, vel etiam Archiepiscopali, Episcopali, seu etiam alia Ecclesiastica præfulgentes appellare, aut alias quoquomodo recursum habere, sed ab eorum Superioribus Ordinarijs ad Generalem, & ab illo ad Capitulum intermedium, ac ab eo ad Capitulum Generalem recurrere, & coram eis de eorum iuribus experiri iuxta dicti Ordinis, & Congregationis priuilegia, & regularia instituta tenerentur à prædicto tam Capitulo Generali pro notoria, & manifesta iniuria, ac in eventum denegatae iustitiæ ad Sedem prædictam dumtaxat, vt præfertur recurrere valerept. Ac insuper eiusdem Congregationis Generali, alijsq. Abbatibus, Abbatissis, Prioribus, Priorissis, & Monachis, Monialibus, ac vniuersis, & singulis vtriusque sexus regularibus personis perpetuò interdixit & prohibuit, ac in virtute sanctæ obedientiæ districtiùs præcipiendo mandauit, ne villovnæ quam tempore ad quascunque personas secu-

lares,

psilæ

lares , & Ecclesiasticas, extra dictam Congre-  
gationem etiam Reges, Duces, & alios Princi-  
pes seculares, necnon quoscunque in Ecclesia-  
stica dignitate constitutos , Archiepiscopos ,  
Episcopos , & alios Ecclesiasticos Prælatos  
scribere culpas Religiosorum , & poenias, qui-  
bus plectuntur , tam per literas , & memoria-  
lia , quam oretenus per se , vel aliquam inter-  
positam personam directe , vel indirecte , taci-  
te , vel expressè quouis quæsito colore , vel in-  
genio significare , & notas facere de eorum  
Prælatis, aut de omnibus, & singulis vtriusque  
sexus eiusdem Cōgregationis regularibus per-  
sonis suprannominatis penes prædictas perso-  
nas cōqueri, aut coram illis aliqua ipsorū Præ-  
latorum , & dictarū personarum crimina obij-  
cere, ab eisq. seu aliquo ipsorum personam, seu  
personas, vt Capitulo generali assistant, petere  
auderent , seu præsumerent , qui verò in ali-  
quo præmissorum contra huiusmodi Motus  
proprij tenorem venire, aut aliquid attentare  
præsumpsissent, eos perpetuae priuationis acti-  
uè , & passiuè vocum , ac Dignitatum officio-  
rum , & administrationum quarumcunque ,  
necnon inhabilitatis ad illa, & alia in posterum  
obtinenda, carcerisq. mancipatio nis vnius an-  
ni in cuius omnibus quartis , & sextis Ferijs di-  
sciplinam in Capitulo susciperent , & in refe-  
ctorio panem , & aquam tantummodo in ter-  
ra manducarent, poenias ad quas incurriendas  
solæ appellationum interpositiones, ac literæ,

aliamq.

aliaq. contra tenorem huiusmodi attentata,  
 vbiue, tam in iudicio, quam extra, fidem fa-  
 cerent, eo ipso incurrisse, & incurrire decla-  
 rauit, poenasq. huiusmodi à Capitulo genera-  
 li tantum remittendas contra eos irremissibi-  
 liter inflxit, & promulgauit, mandando etiam  
 in virtute eiusdem sanctæ obedientiæ viuier-  
 sis, & singulis Archiepiscopis, Episcopis, &  
 alijs Ecclesiarum Prælatis, seu ut præfertur in  
 dignitate Ecclesiastica constitutis, ac alijs per-  
 sonis Ecclesiasticis, vt pro dictæ Congregatio-  
 nis quiete illius Religiosos quoscunque ad eos  
 forsan recurrentes, contra præmissa delin-  
 quentes eorum Superioribus relinquerent, nec  
 illis aliquo modo contra eiusdem Motus pro-  
 prij tenorem fauerent, aut delinquendi occa-  
 sionem præberent. Reges autem, Duces, &  
 Principes temporales paternè in Domino hor-  
 tando, vt qui libertatem Ecclesiasticam, &  
 Religiosorum quietem, tanquā verè Catholici  
 Principes tueri tenebantur, & tenentur, ipsius  
 Congregationis prosperum, & pacificum sta-  
 tum, qui ex præmissorum obseruatione maxi-  
 mè pendebat, conseruari curarent, & stude-  
 rent. Voluitq. idem Clemens Prædecessor  
 inter alia, quod huiusmodi Motus proprius, seu  
 Literæ Apostolicæ desuper sub datum, vide-  
 licet, Romæ apud Sanctum Marcum sub an-  
 nulo Piscatoris die decima Octobris anni Do-  
 mini Millesimi, quingentesimi, nonagesimi se-  
 ptimi, Pontificatus sui anno sexto expedite.

B inter

405

inter Statuta, & Definitiones ciusdē Cōgregatiōnis perpetuō obseruandus , vel obseruandæ describerentur . Ac postmodum per similis recordationis Paulum similiter Papam Quintum pariter Prædecessorem nostrum , accepto , quod dudum inter Congregationem Monachorum Reformatorum nuncupatoruni Ordinis Sancti Benedicti Hispaniarum ex vna , ac Monachos , & Conuentum Monasterij eiusdem Sancti Benedicti Vallisoletan . Ordinis , & Congregationis eorundem partibus ex altera à quam pluribus annis lis , & controvērsia mota erat super iure eligendi Abbatem Generalem dictæ Congregationis , eo quod Monachi dicti Monasterij sub prætextū , quod ab ipsis reformatio , seu aggregatio ipsius Congregationis emanasset , dictumq . Monasterium per antiquas ciusdem Congregationis Constitutiones à Sede prædicta confirmatas caput reliquorum dictæ Congregationis Monasteriorum diceretur ad ipsos potius Monachos , & Conuentum Vallisoletan . , quam ad totam Congregationem electionem huiusmodi Generalis spectare & spectasse , ac per aliquos annos habuisse vel saltem ipsi Congregationi non liberam omnino electionem huiusmodi tam actiūè , quam passiūè , sed alternatis vicibus , & Congregationi , & Conuentui modo actiūè , modo passiūè debere concedi , ac ita per fel . rec . Pij Papæ V . & ipsius Clementis prædecessorum nostrorum , tunc suorum literas con-

cef-

cessum; & statutum fuisse prætendebant. Et cum è contra dicta Congregatio ad ipsam in qua omnes illius Abbates, ac etiam ipse Abbas Generalis, necnon omnes Monachi, & Conuentus continebantur huiusmodi Generalis, & Superioris electionem, ac facultatem de iure spectare, & per plures Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum, etiam tunc suorum Constitutiones, potestatem liberam tam in statuendo, quam in eligendo fuisse sibi concessam, dictasq. Pij V. & Clementis prædecessorum huiusmodi literas etiam fuisse obreptitie, & subreptitiæ obtentas allegasset, ac de earum nullitate, & grauamine, alijsq. molestationibus, & perturbationibus inde sequutis in graue Religionis, & obedientiæ præiudicium coram sancta Sede, & dicto Clemente Prædecessore reclamasset, postquam idem Clemens Prædecessor causam, & causas huiusmodi dicto Paulo Prædecessori dum adhuc in minoribus constitutus Cardinalatus honore fungeretur, & bo. me. Pompeio tituli Sanctæ Balbinæ dum vixit Presbytero Cardinali Argonio nuncupato audiendas, cognoscendas, fineq. debito terminandas omni, & quacunque appellatione remota, cōmiserat, dictusq. Paulus prædecessor subinde causa, & causis huiusmodi coram eo, & Pompeio Cardinale præfato diu hincinde tractatis adhuc tamē pendentibus indecisis ad Summi Apostolatus apicem cœctus, similis memoriae Hieronymum tituli

Sancti Blasij in annulo, etiam dum vixit Pres-  
 byterum Cardinalem Pamphilium nuncupa-  
 tum in locum suum quoad causam, & causas  
 ipsas subrogauerat, acceptoq. quod Pompeus,  
 & Hieronymus Cardinales prædicti in execu-  
 tionem dictæ commissionis iuribus, ac muni-  
 mentis causas ipsas concernentibus ab vtraq.  
 partium huiusmodi productis, ijsq. diligenter  
 visis, & consideratis, ac partibus ipsis sufficien-  
 ter auditis, cognitisq. ad plenum eiusdem cau-  
 ßæ meritis, necnon dicto Paulo prædecessore,  
 super illis consulto per eorum sententiam dif-  
 finituam decreuissent, & declarauissent, vnam  
 Pij V. sub datum nono kal. Iunij Pontificatus  
 sui anno secundo. Et alteram Clementis præ-  
 decessorum prædictorum sub datum kalend.  
 Martij Pontificatus sui anno primo Constitu-  
 tiones prædictas subreptitas, & obreptitas  
 fuisse & esse, ac illas necnon aliâs similis recor-  
 dationis Pij iv. & Pauli iii. ac Paulij etiâ iv. nec-  
 non Iulij ii. & Alexandri vi. ac quascunque aliâs  
 quoruncunque Romanorum Pontificum præ-  
 decessorum nostrorum tunc ipsius Pauli v.  
 prædecessoris, dictorumq. Congregationis, &  
 Ordinis Constitutiones, ac omnia alia inde-  
 sequuta in quantum lædebant libertatem elec-  
 tionis, & sententiæ huiusmodi contrariæ  
 erant, fuisse, & etiam esse annullandas, &  
 reuocandas, ac annullanda, & reuocanda  
 prout illas, & illa annullauerant, & reuoca-  
 erant, electionem Abbatis Generalis, & Supe-  
 rioris

rioris Monachorum dictæ Congregationis  
spectauisse , & pertinuisse , ac spectare , & per-  
tinere ad ipsam Congregationem actiūè , &  
passiuè , illamq. deinceps in suo Capitulo ge-  
nerali liberè etiam actiūè , & passiuè eligere  
posse , debereq. in Generalem , & Superiorē  
Monachum ex toto gremio dictæ Congrega-  
tionis in quocunq. illius monasterio professū,  
absque eo quod Monachi vnius Conuentus  
haberent in huiusmodi electione , tām actiūè ,  
quām passiuè plus iuris , quām habebant Mo-  
nachi cæterorum monasteriorum eiusdem  
Congregationis , ita tamen quod Monachi  
dicti monasterij Vallisoletan. possent habere  
suum Abbatem particularem ad instar aliorum  
monasteriorum dictæ Congregationis , mole-  
stationes quoque , vexationes , perturbationes ,  
& impedimenta quæcunque pro parte Mono-  
chorum dicti Monasterij Vallisoletan. eidēm  
Congregationi de & super præmissis præstitas ,  
& illatas , ac præstita , & illata etiam fuisse , &  
esse illicitas , iniquas , indebitas , & iniustas ,  
ac illicita , iniqua , indebita , & iniusta , ac de  
facto factas , & facta , præsumptasq. & præ-  
sumpta , illasq. & illa eis facere minimè licui-  
sse , nec de iure licere similiter declarauerant ,  
perpetuumq. desuper silentium eis imposuerat .  
Idem Paulus prædecessor sententiæ huiusmo-  
di iustitiam attendens , ac omnem inter Con-  
gregationem , & Monachos dicti Monasterij  
Vallisoletan. ex tunc de cætero super præmis-  
sis

sis litigandi materiam amouere cupiens, etiam  
 Motu suo proprio, &c de Apostolicæ potesta-  
 tis plenitudine sententiam prædictam, & in-  
 ea contenta quæcunque, sub datum Romæ  
 etiam apud Sanctum Marcum sub annulo Pi-  
 scatoris die prima Septembris anni eiusdem  
 Domini Millesimi sexcentesimi noni, Pontifi-  
 catus sui anno Quinto etiam perpetuò appro-  
 bauit, & confirmauit, ac illi perpetuæ, & in-  
 uiolabilis Apostolicæ firmitatis robur adie-  
 cit, omnesq. & singulos tam iuris, quam facti  
 defectus si qui in illa interuenissent, suppleuit,  
 necnō à Monachis dicti Monasterij Vallisoletā.  
 & omnibus alijs ad quos spectabat perpetuò  
 obseruari debere decreuit. Et insuper quod ele-  
 ctio Abbatis Generalis, & Superioris mona-  
 steriorum dictæ Congregationis spectaret, &  
 pertineret, ac spectare, & pertinere deberet  
 ad ipsam Congregationem actiue, & passiuè.  
 Quodq. ipsa Congregatio posset, ac deberet,  
 etiam deinceps in suo Capitulo generali liberè  
 actiue, & passiuè eligere in Abbatem Genera-  
 le, & Superiore Monachum ex toto gremio  
 dictæ Congregationis professum absq. eo quod  
 monachi viuis Monasterij haberent in huius-  
 modi electione tam actiue, quam etiā passiuè,  
 plus iuris, quam habebat monachi cæterorum  
 monasteriorum ejusdem Congregationis, ita  
 tamen quod Monachi dicti monasterij Valli-  
 soletan. sumi particularem Abbatem ad in-  
 ster aliorum monachorum dictæ Congrega-  
 tionis,

tionsis, ut præfertur, habere possent, etiam sta-  
 tuit, & ordinavit, ac alias prout in singulis  
 prædecessorum prædictorum literis Apostoli-  
 cis super præmissis omnibus, & singulis expe-  
 ditis, necnon processu, sententiaq. huiusmo-  
 di plenius continetur. Cum autem sicut ac-  
 ceperimus dicta Congregatio in eius Capitu-  
 lo generali in possessionem decretorum, &  
 statutorum per eundem Paulum V. prædeces-  
 sorēm circa huiusmodi nouum modum eligen-  
 di eius Generalem, & Superiorēm iuxta for-  
 matam, & tenorem sententiae Pompei, & Hiero-  
 nymi Cardinalium, ac literarum Apostoli-  
 carum Pauli V. prædecessoris prædictorum  
 desuper expeditarum cum maximo eiusdem  
 Congregationis Religiosorum aplausu, im-  
 missa fuerit, ac ab inde citra in ea pacificè, &  
 absq[ue] contradictione aliqua tunc hucusque  
 non sine notabili ipsius Congregationis splen-  
 doris, diuiniq[ue] cultus incremento continuauer-  
 it; & licet Abbas, & Conuentus dicti Mona-  
 steriū Vallisoletan. præmissis acquiescere, eaq.  
 inuolabiliter obseruare debeant, & teneantur.  
 Nihilominus veterem eorum huiusmodi præ-  
 tensionem renottiare satagentes ad Charissi-  
 mum in Christo Filium nostrum Philippum  
 huius nominis IV. Hispaniarum Regem Ca-  
 tholicum contra eorundem præmissorum for-  
 matam, & tenorem recursum habuerunt, & vi-  
 dentes se ab eo nihil obtinere posse à pura, &  
 sincera Superioris Generalis dictæ Congrega-  
 tionis

tionis obedientia sub prætextu, quod modus  
 eligendi dictum Generalem mutatus fuerat, se  
 subtrahere tentarunt, vel ad huiusmodi obe-  
 dientiam ipsi Generali nisi forsan in exteriori  
 præstandam minimè teneri, seu ab ea saltem  
 in interiori exemptos esse prætendere cœpe-  
 runt. Cumq. verendum sit ne propterea ma-  
 xima inter ipsius Congregationis Monachos,  
 & Religiosos cum Diuini cultus detimento, ac  
 totius Congregationis huiusmodi status per-  
 turbatione orientur incommoda, vel iurgia,  
 Nos qui pacem, & quietem inter fideles quo-  
 libet præsertim Religiosos eos maximè, qui  
 zelo deuotionis reformationem regularis di-  
 sciplinæ amplexi sunt vigere sinceris desidera-  
 mus affectibus attentes, quod si præmissa  
 quæ sic per Gregorium in fauorem ipsius Con-  
 gregationis statuta, seu concessa, & per Cle-  
 mentem sancita, ordinata, interdicta, prohi-  
 bita, mandata, declarata, inficta, & promul-  
 gata, necnon per Paulum V. prædecessores  
 præfatos, approbata, confirmata, decretal.,  
 ac etiam statuta, & ordinata fuerunt, ut præ-  
 fertur etiam per Nos, & Sedem eandem ap-  
 probarentur, confirmarentur, & innouaren-  
 tur, aliaq. infra scripta fierent ex hoc profe-  
 cto ipsius Congregationis imminentि malo  
 perturbationi, & dispēdio facile occurreretur,  
 paciq. quieti, & tranquillitati Religiosorum,  
 necnon etiam felici, & prospero Congrega-  
 tionis huiusmodi successu consuleretur. Mo-

tu nostro proprio nō ad alicuius nobis desuper  
 oblatæ petitionis instatiam, sed ex mera nostra  
 voluntate, & ex certa scientia, deq. Apostoli-  
 ca potestatis huiusmodi plenitudine, dilectos  
 filios modernos Abbatem Generalem, ac om-  
 nes, & singulos Monachos, & Religiosos di-  
 ctae Congregationis, eiusq. necnon illius mo-  
 nastrorum, & regularium locorum singula-  
 res personas à quibusuis excommunicationis,  
 suspensionis, & interdicti, alijsq. Ecclesiasti-  
 cis sententijs, censuris, & poenis, à iure, vel ab  
 homine quauis occasione, vel causa latis si  
 quibus quomodolibet innodati existūt ad effe-  
 ctum præsentium dumtaxat consequendum  
 harum serie absoluente, & absolutos fore  
 censentes, ac singulorum eorundem præde-  
 cessorum nostrorum literarum, processusq.  
 necnon sententiae huiusmodi tenores, ac dat.  
 etiam veriores præsentibus pro expressis ha-  
 bentes ex voto Venerabilium fratrum nostro-  
 rum eiusdem Sanctæ Romanæ Ecclesie Cardi-  
 naliū negotijs regularium præpositorum,  
 eadem statuta, seu concessiones, ordinatio-  
 nes, mandata, declarationes, & decreta per  
 Gregorium, & Clementem, ac Paulum Quintum  
 prædecessores præfatos, vt præfertur in  
 fauorem dictæ Congregationis facta, necnon  
 sententiam, ac possessionem illius, decreto-  
 rumq. prædictorum vigore adeptam huiusmo-  
 di cum omnibus, & singulis clausulis, & de-  
 cretis in Motu proprio tam Clementis, quam

Privilegiū  
 de statuen-  
 do, & an-  
 nullādo sta-  
 tutā, eiā  
 per Sedē  
 Apostolicā  
 approbata  
 confirma-  
 tur.

C Pauli

Pauli v. prædecessorum eorumdem contentis, & comprehensis, cū omnibus, & singulis iude legi timè sequuntis, & sequendis quibuscumque Apostolica autoritatē tenore præsentium, etiā perpetuò approbamus, & confirmamus, illisq. perpetuæ, inuicibilis, & irrefragabilis Apostolicæ firmitatis robore communimus, ac omnes, & singulos tam iuris, quam facti, ac solemnitatum etiam quantumuis substancialium in eis forsan requisitarum, & omissarum defectus si qui desuper principaliter, vel accessoriè, aut alias quomodolibet interuenerint supplemus, illaq. etiam innouamus, & quatenus opus sit de novo concedimus. Et insuper quod perpetuis etiam futuris temporibus nulli omnino personæ ipsius Congregationis liceat ab ordinationibus, correctionibus, reformationibus, priuationibus, depositionibus, alijsuè poenis, & sententijs suorum Abbatum, Diffinitorum, Commissariorum, aliorumq. Superiorum, seu etiam Generalis, & Capituli Generalis Congregationis huiusmodi non modo ad iudices, ac alias personas in eodem Motu proprio dicti Clementis prædecessoris, vt præfertur declaratos, & declaratas, sed nec ad nostrum, & eiusdē Sedis Nuntios in eisdē Regnis, pro tempore cōmorātes appellare, aut alias quomodocunq. & quandocunq. recursum habere, sed ab eorum Superioribus Ordinarijs ad Generalem, & ab illo ad Capitulum intermedium nuncupatum, ac ab eodem Capitulo intermedio

*Clementis  
vij. Mo.  
tus propri  
circumcur  
sus estima  
tur, & am  
pliatur.*

dio ad Capitulum Générale dictæ Congregationis coram quibus de eorum iuribus experi-ri, & à Capitulo prædicto Generali pro noto-ria, & manifesta iniuria, ac in euentum dene-gatae iustitiae ad Nos, & Romanos Pontifices pro tempore existentes in immediate tantum re-currere teneantur, & respectuē valeant, Per-petuò quoque auctoritate, & tenore præmis-sis statuimus, & ordinamus, eiusdemq. Con-gregationis modernis, & similiter pro tem-pore existentibus Generali, ac alijs Abbatibus, Abbatissis, Prioribus, Priorissis, Monachis, Monialibus, ac vniuersis, & singulis vtriusque sexus ipsius Congregationis regularibus per-sonis, motu, voluntate, scientia, ac de pote-statis plenitudine similibus interdicimus, ac etiam prohibemus, & in virtute sanctæ obe-dientiæ districte præcipiendo mandamus, & iubemus, nè ipsi, vel aliquis, aut aliqua eiusdem Congregationis persona singularis, qua-cunque præminentia, superioritate, & aucto-ritate fungens, de cætero nullo vñquam tem-pore ad quascunque personas seculares, & Ec-clesiasticas extra dictam Cōgregationem, etiā Reges, Duces, & alios Principes seculares, nec-non quoscunque in dignitate Ecclesiastica cō-stitutos etiam eiusdem Sedis Nuncios in ei-sdem Regnis pro tempore commorantes, vel Archiepiscopos, Episcopos, aut alios quoscun-que, quacunque dignitate, & præminentia fulgentes, vel auctoritate fungentes Prælatos

Prohibe con precepto  
a todos los Religiosos  
el manifestar fuera  
en qual quiera manera  
culpas, ni penas exe-  
cutadas intra claustra.

Ecclesiasticos scribere culpas Religiosorum,  
 & poenam, quibus plectuntur, tam per literas,  
 & memorialia, quam oretenus per se, vel per  
 aliam interpositam personam, directe, vel in-  
 directe, tacite, vel expresse, quo quis quaesito  
 colore, vel ingenio significare, & notas face-  
 re de eorum Prælatis, aut de omnibus, & sin-  
 gulis utriusque sexus eiusdem Congregationis  
 regularibus personis supranominatis, penes  
 prædictas personas conqueri, at coram illis  
 aliqua ipsorum Prælatorum, & dictarum per-  
 sonarum crima obijcere, ab eisq. seu aliquo  
 ipsorum personam, seu personas, ut Capitu-  
 lo generali assistant petere audeant, seu præ-  
 sumant, sub poenis contra delinquentes in eo-  
 dem Motu proprio Clementis prædecessoris  
 huiusmodi infictis, & comminatis irremissibi-  
 liter incurrendis, quas in aliquo præmissorum  
 contrauenientes omnes, & singulos auctorita-  
 te, & tenore paribus, etiam infligimus, &  
 promulgamus, illasq. iuxta eiusdem Clementis  
 prædecessoris voluntatem in eos exequi de-  
 bere volumus, & ordinamus. Mandantes pro-  
 pterea expresse, ac in virtute eiusdem sanctæ obe-  
 dientiæ iniungentes dilecto filio moderno no-  
 stro, ac etiam pro tempore existenti Nuncio  
 in eisdem Regnis commoranti, ac vniuersis,  
 & singulis, necnon quibuscumque venerabili-  
 bus fratribus Archiepiscopis, Episcopis, ac di-  
 lectis filijs alijs Ecclesiarum Prælatis, ut præ-  
 fertur in dignitate Ecclesiastica constitutis,

alijs

alijs quoq. personis Ecclesiasticis, ut pro dicta Congregationis quiete illius Religiosos quoscunque ad eos, aut eorum aliquos forsan recurrentes cōtra præmissa delinquentes eorum Superioribus puniendos fideliter remittant, & relinquant, nec ipsis delinquentibus aliquo modo cōtra præsentium literarum nostrarum tenorem faueant, aut delinquendi ansam præbeant. Charissimos verò in Christo Filios nostros Reges, & dilectos similiter filios Duxes, & alios Principes temporales nobiles viros paternè in Domino hortamur, ut libertatē Ecclesiasticam, & religiosorum quietem, tanquam veræ fidei propugnatores, & defensores tueantur, ipsisq. Congregationis prouerbum, & pacificum statum, qui ex horum, aliorumq. præmissorū obseruatione maximè pendet, conseruari current, & faciant. Præterea, nè in posterum perpetuis futuris temporibus de vera, reali, actuali, & sincera obedientia, Superiori Generali eiusdem Congregationis sic ex toto gremio illius Monachorum, ut præferratur in ipsius Congregationis Capitulo Generali, iuxta modum in dicta sententia, & Motu proprio Pauli V. prædecessoris huiusmodi electo, & in futurum eligendo præstanta in aliquo hæsitari contingat, ac ad tollendam, & extirpandam omnem, quæ circa præmissa euenire posset dubitandi, vel dissimulandi occasione in Motu, voluntate, scientia, & potestatis plenitudine paribus, Quod ex nunc in futu-

*Integritatis priuilegiorum sacerdotum per persueratissimam declaratio.*

futurum per huiusmodi nouum modum eli-  
gendi dictum Superiorem Generalem nihil  
omnino eorum , quæ ad veram puram , & sin-  
ceram huiusmodi obedientiam , eidem Supe-  
riori Generali , sic ut præfertur electo , & etiam  
pro tempore eligendo , tam quoad ea , quæ ad  
personam ipsius Generalis , quām etiam quo-  
ad omnia monasteria , necnon vtriusque sexus  
regulares personas eiusdem Congregationis ,  
ac tam internè , quām externè , & ex animo  
præstandam spectant , & pertinent etiamsi  
ipse Generalis dicti Monasterij Vallisoletani  
Monachus in eoprofessus non fuerit , nec Ab-  
batiali dignitate ad præsens fulgeat , immuta-  
tum , alteratum , aut in aliquo innouatum  
esse , vel fuisse , dici , vel censeri . Immo ipsi Su-  
periori Generali iuxta præmissa , ac ut simili-  
ter præfertur electo , & eligendo eadem pror-  
sus obedientia , & summisso , quæ alijs Abba-  
tibus Generalibus in dicto Monasterio Valliso-  
letano electis , & forsan in eo professis præsta-  
batur in omnibus , & per omnia perinde , ac si  
ipse Superior Generalis sic electus in dicto Mo-  
nasterio Vallisoletā professus , ac iuxta antiquū  
eligēdi modum electus esset , tam ab Abbatē , &  
Monachis eiusdem Monasterij Vallisoletan. ac  
ab eo decendentibus filiationibus , & vtriusq;  
sexus subditis , quām etiam ab omnibus , &  
singulis vtriusque sexus alijs ipsius Congrega-  
tionis regularibus personis modernis , & pro  
tempore existentibus , præstari , ipsumq. Su-  
perio-

periorem Generalem electum, & de cæteris  
etiam perpetuis futuris temporibus pro tem-  
pore eligendum, necnon etiam omnes, & sin-  
gulos similiter utriusque sexus singulares per-  
sonas, & ipsam Congregationem communiter,  
vel diuissim eadem prorsus iura, obuentiones,  
emolumenta, & utilitates habere, & conie-  
qui, ac omnibus, & singulis libertatibus, immu-  
nitatibus, honoribus, prærogatiis, præemi-  
nentijs, priuilegijs, gratijs, & facultati-  
bus spiritualibus, & temporalibus, qui-  
bus alij ipsius Congregationis Generales an-  
tea, cum ipsi Superioris Generales, videlicet,  
Abbatis, & etiam Generalis dignitatibus ful-  
gebant, vtebantur, fruebantur, potiebantur,  
& gaudebant, ac vti, frui, potiri, & gaudere  
poterant similiter, & pariformiter, ac æquè  
principaliter absque vlla prorsus differentia  
in omnibus, & per omnia, etiam quoad insi-  
gnia Abbatialia, vti, frui, potiri, & gaudere  
debere, nec eum, vel eorum aliquem à quo-  
quam desuper sub dicto, & quibusvis alijs præ-  
textibus, aut quouis alio quæsito colore, vel  
ingenio, causaq. & occasione ab aliquibus  
quauis auctoritate fungentibus, vel dignitate,  
& excellentia fulgentibus vlo vniquam tem-  
pore molestari, impediri, inquietari, aut per-  
turbari posse auctoritate, & tenore paribus  
perpetuò quoq. statuimus, & declaramus. De-  
cernentes omnia, & singula præmissa, necnon  
easdēm præsentes nostras literas etiamsi nulla  
legi-

Legitimi  
vſus pri-  
uilegiorum  
post senten-  
tiam in  
causa Val  
hſolletan.  
declaratio

Generali  
etiam non  
Abbati,  
conceditur  
uti insi-  
gnis Abba  
tialibus.

legitima causa subsistente, & etiam de facto  
 præcesserint, aut ex aliqua alia quantumuis  
 legitima, & iuridica etiam de necessitate ex-  
 primenda causa, seu prætextu etiam ex eo  
 quod dilecti filij Vallisoletan. prædicti, ac  
 quorumcunque aliorum eiusdem Congrega-  
 tionis Monasteriorum Monachi, aut quicunque  
 alij in præmissis interesse habentes, vel habe-  
 re prætendentes illis non consenserint, ad eaq.  
 vocati, & causæ propter quas illa fiant, vel  
 facta sint coram nobis, vel aliâs examinatæ,  
 iustificatæ, & verificatæ non fuerint. seù ex  
 quocunque alio capite, vel causa quantumuis  
 legitimo, & iuridico, ac legitima, & iuridica  
 de subreptionis, vel obreptionis, seù nullita-  
 tis vitio, aut intentionis nostræ, vel quopiam  
 alio defectu notari, impugnari, retractari,  
 annullari, vel inualidari, seù in ius, aut contro-  
 uersiâ vocari, ad viâ, & terminos iuris reduci,  
 aut aduersus illas quocunque iuris, gratiæ,  
 vel facti remedium impetrari, vel concedi nul-  
 latenus vnquam posse, neque sub quibusuis  
 similium, vel dissimilium gratiarum reuoca-  
 tionibus, suspensionibus, limitationibus, aut  
 alijs contrarijs dispositionibus per Nos, vel  
 successores nostros Romanos Pontifices pro  
 tempore existentes, Sedemq. prædictam sub  
 quibusuis verborum formis, & expressionibus  
 etiam Motu, scientia, ac de potestatis plenitu-  
 dine similibus pro tempore factis comprehen-  
 di, sed tanquam pro felici dictæ Congregatio-

tioneis statu, gubernio, regimine, & admini-  
 stratione, ac pace, & quiete, ac tranquillitate  
 inter illius Religiosos concilianda, augenda,  
 & conseruanda, diuinq. cultus incremento  
 concessas semper ab illis exceptas, & quoties  
 illæ emanabunt, toties in pristinum, & eum  
 in quo anteä quomodolibet erant statum re-  
 stitutas, repositas, & plenariè reintegratas,  
 ac de nouo etiam sub quacunque posteriori  
 data per ipsius Congregationis Superioris  
 quandocunque eligenda, etiam de nouo con-  
 cessas validasq. & efficaces esse, & fore, suosq.  
 plenarios, & integros effectus sortiri, & ob-  
 tinere, Sicq. & non aliter per quoscunque Iu-  
 dices, & Commissaries, etiam causarum Pa-  
 latij huiusmodi Auditores, ac ipsius Sanctæ  
 Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de latere  
 Legatos sublata eis, & eorum cuilibet quavis  
 aliter iudicandi, & interpretandi facultate, &  
 auctoritate iudicari, & dissiniri debere. Irri-  
 tum quoque, & inane quicquid secus super  
 his à quoquam quavis auctoritate scienter,  
 vel ignoranter contigerit attentari. Ac tan-  
 dem eidem Moderno, & similiter pro tempo-  
 re existenti eiusdem Congregationis Superiori  
 Generali tenore earundem præsentium com-  
 mittimus quatenus eadem præmissa omnia, &  
 singula statim post præsentium nostrarum  
 literarum receptionem in ipsius Congrega-  
 tionis omnibus, & singulis vtriusque sexus  
 Monasterijs publicari, eaq. omnia tam per se,

NON

D quam

quam per dilectos filios Visitatores Ordina-  
 rios, omnesq. alios inferiores eiusdem Con-  
 gregationis regulares personas, ab omnibus, &  
 singulis illius regularibus personis inuiolabili-  
 ter, & inconcusse obseruari mandet, & faciat  
 contradictores, & inobedientes quoslibet su-  
 pradicis, ac quibusvis alijs poenis iuxta dictæ  
 Congregationis regularia statuta, alijsq. opor-  
 tunis iuris, & facti remedij appellazione om-  
 nino postposita compescendo. Quocirca Ve-  
 nerabili Fratri nostro Episcopo Gadiceo, & ei-  
 dem Nuncio, ac dilecto filio causarum Curiæ  
 Cameræ Apost. Generali Auditori, profilio-  
 ri, validiori q. præsentium earundem obserua-  
 tione, ac totius ipsius Congregationis Sancti  
 Benedicti potiori cautela per Apostolica scripta  
 mandamus quatenus ipsi vel duo, aut unus eo-  
 rum per se, vel alium, seu alios, quoties, vbi,  
 & quando pro parte Superioris, vel Congre-  
 gationis Generalis, aut Monachorum, & Re-  
 ligiosarum personarum Regularis obseruan-  
 tiæ eiusdem Sancti Benedicti, aut alicuius eo-  
 rum fuerint requisiti solemniter publicantes  
 eisdem Superiori, vel Congregationi generali,  
 aut Monachis, & Personis, vel quibusvis eo-  
 rum in præmissis efficacis defensionis præsi-  
 dio assistentes faciant auctoritate nostra easdem  
 præsentes nostras literas, & in eis contentas  
 quæcunque ab omnibus ad quos spectat, &  
 pro tempore quomodolibet spectabit in futu-  
 rum firmiter, & inuiolabiliter obseruari.

Non

Non permittentes eosdem Superiorem , vel Congregationem generalē in , aut Monachos , & Personas, vel aliquos eorum defūper à quo- quam quomodolibet indebitè molestari , im- pediri , aut perturbari, contradictores quo- libet , & rebelles præmissis contrauenientes per sententias,censuras,& poenas Eccl.necnon alia etiā opportuna iuris, & facti remedia appella- tione , vt præfertur,postposita, similiter cōpe- scendo , ac legitimis super his habendis serua- tis processibus , sententias , censuras , & poe- nas huiusmodi etiam iteratis vicibus seruata- forma Concilij Tridentini , aggrauando , in- uocando ad hoc , si opus fuerit , brachij secula- ris auxilio . Non obstantibus præmissis , ac etiam felicis recordationis Bonifacij similiter Papæ viii. etiam prædecessoris Nostri, qua ca- uetur nè quis extra suam Ciuitatem , vel Diœ- ces. nisi in certis tunc expressis casibus , & in illis vltra vnam dietam à fine suæ Diœc. ad iu- diciū euocetur , seu nè Iudices à Sede prædicta deputati extra Ciuitatem , vel Diœcesim in quibus deputati fuerunt contra quoscunque procedere , aut alijs , vel alijs vices suas com- mittere præsumant , & in Concilio generali edita de duabus dietis dummodo vltra tres dietas quis vigore earundem præsentium ad iudicium non trahatur, necnon quatenus opus sit nostra, & Cancellariæ Apostolicæ regula de Iure quæsto non tollendo , alijsq. quibus- tis Constitutionibus , & Ordinationibus Apo-

stolicis, necnon Congregationis, ac Valliso-  
 letan. huiusmodi, & aliorum quoruncunque  
 illius Monasteriorum etiam iuramento, con-  
 firmatione Apostolica, vel quavis firmitate  
 alia roboratis, statutis, & consuetudinibus,  
 legibus, & viis, priuilegijs quoque indultis,  
 & literis Apostolicis illis, eorumq. Superiori-  
 bus, Officialibus, alijsq. quibusvis personis  
 sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac  
 cum quibusvis etiam derogatoriarum deroga-  
 torijs, alijsq. efficacioribus, efficacissimis, &  
 insolitis clausulis, irritantibusq. & alijs De-  
 cretis in genere, vel specie, etiam Motu pro-  
 prio, & etiam Consistorialiter, ac alias in  
 contrarium forsan quo nodolibet concessis,  
 confirmatis, & immouatis, quibus omnibus,  
 et si de illis, eorumq. totis tenoribus spe-  
 cialis, specifica, expressa, & individua, ac de  
 verbo ad verbum, non autem per clausas ge-  
 nerales idem importantes mentio, seu quevis  
 alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisi-  
 ta forma ad hoc seruanda foret, tenores hu-  
 iusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil pœ-  
 satus omisso, & forma in illis tradita obserua-  
 ta, inserti forent, præsentibus pro expressis  
 habentes illis aliâs in suo labore permanuris,  
 hac vice duntaxat harum serie latissimè, &  
 plenissimè derogamus, ac derogatum esse, &  
 fore volumus, cæterisq. contrarijs quibuscum-  
 que. Aut si aliquibus communitet, vel di-  
 uisim ab eadem sit Sede indultum, quod inter-  
 dici,

dici, suspendi, vel excommunicari non possint  
per Literas Apostolicas non facientes plenam,  
& expressam, ac de verbo ad verbum de indul-  
to huiusmodi mentionem, & qualibet alia  
dictæ Sedis indulgentia generali, vel speciali  
cuiuscunque tenoris existat, per quam præ-  
sentibus non expressam, vel totaliter non in-  
sertam effectus huiusmodi gratiæ impediri va-  
leat quomodolibet, vel differri. Et de qua-  
cuisque toto tenore habenda sit in nostris  
literis mentio specialis. Volumus autem quod  
eadem præsentes nostræ literæ inter alia statu-  
ta, & diffinitiones eiusdem Congregationis  
Sancti Benedicti perpetuis futuris temporibus  
inuiolabiliter obseruande describâtur. Quod-  
que earundem nostrarum literarum transum-  
ptis, etiam impressis manu Secretarij dictæ  
Congregationis S. Benedicti, vel alicuius No-  
tarij publici, necnon sigillo ipsius Congrega-  
tionis, vel alicuius personæ in dignitate Ec-  
clesiastica constitutæ signatis, & munitis, in-  
dubia vbiique in iudicio, & extra illud eadem  
fides adhibetur, quæ eisdem literis nostris  
adhiberetur si forent originaliter exhibitæ,  
vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum  
liceat hanc paginam nostræ absolutionis, ap-  
probacionis, confirmationis, communionis,  
suppletionis, innouationis, nouæ concessio-  
nis, interdicti, prohibitionis, iussionis, poena-  
rum infixionis, promulgationis, iniunctio-  
nis, hortationis, declarationis, commissio-  
nis,

nis, mandati, derogationis, singularumq. volū-  
tatum decretorum, statutorum, & ordinatio-  
num infringere, vel ei ausu temerario contrai-  
re. Si quis autem hoc attentare præsumpse-  
rit, indignationem omnipotentis Dei, ac Bea-  
torum Petri, & Pauli Apostolorum eius, se-  
nouerit incursum. Datum Romæ apud san-  
ctam Mariam Maiores, Anno Incarnationis  
Dominicæ Millesimo Sexcentesimo Vigesimo  
quarto tertio Non. Iulij, Pontificatus No-  
stri Anno Primo.

## Ho. Corsettus. A. Matthæi.

Ferd. Beger.  
M. Beger.

**Loco f plumbi,**



1901 - 25 - Oct. 10

21  
22  
23  
24  
25  
26  
27  
28  
29  
30  
31

ginto - 29 - 10m



Pabellón De Armas  
29-10m-1901

Carabinieri, que se usan en la marina - que se usan en la marina  
y que se usan en la marina - que se usan en la marina




11(2) 10

$$\begin{array}{r} 120 \\ \times 32 \\ \hline 240 \\ 36 \quad 0 \\ \hline 360 \end{array}$$
$$\begin{array}{r} 064 \\ \times 12 \\ \hline 12 \\ 12 \quad 8 \\ \hline 128 \end{array}$$
$$\begin{array}{r} 125 \\ + 496 \\ \hline 721 \end{array}$$
$$\begin{array}{r} 32 \\ \times 12 \\ \hline 64 \\ 32 \quad 8 \\ \hline 384 \end{array}$$
$$\begin{array}{r} 136.8 \\ - 122 \\ \hline 14.8 \end{array}$$

11(2) 10  
11(2) 10  
11(2) 10  
11(2) 10  
11(2) 10





**134 (1-2)**